



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. I. An personalitates, & essentia realiter inter se distinguantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

QVÆSTIO I.

An personalitates, & essentia realiter inter se se distinguantur?

De distinctione reali formali quæstio procedit, ne cum alia, quæ de distinctione reali virtuali, siue ex natura rei institueretur, confundatur. Distinctio autem realis formalis, seu actualis duplex est: scilicet rei à re, quæ realis specialiter dicitur; alia verò modi à re, seu rei à modo, quæ realis modalis appellatur: atque de vtraque inquiritur, eademque est in re præsentī difficultas.

CERTAMEN I.

Hæreticorum, & Gilberti, atque Durandi errores.

Theodosiani, siue Angelitæ, de Seueritarum secta hæretici, assererant Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum re ipsa, per se ipsos Deitatem non esse: ac proinde personas, siue personalitates realiter à natura diuina distingui, vt refert Nicephorus 18. Histor. Eccles. cap. 49. Hos Gallus Clericus imitatus est apud Anselmum de Incarnat. Verbi cap. 1. & 3. existimans personas omnes incarnatas esse, si essentia Dei cum personalitatibus, ac personis identificaretur. Post sexaginta verò circiter annos Gilbert. Porret. Pictauiens. Episcopus in eundem errorem lapsus asseruit personales proprietates à Deitate realiter differre teste Mathæo Paris. anno 1199. Histor. Angliæ, vt refertur tom. 3. Concil. pro Rhemenf. sub Calixto 2. assertione 3. Gilberti. *Proprietates personales non esse idem, quod persone, & tamen æternas esse: ac proinde, quod æterna multa sint in Deo, & horum nullum sit Deus.* Id quod in Concil. Rhemenf. 2. sub Eugenio III. in decreto relato ab Ottone Frisingens. Ep. scop. de gestis Federici Imperatoris lib. 1. cap. 56. aperte supponitur, vt videbitur tom. 3. Concil. p. 2. pro Rhemenf. sub Eugenio III. Quod etiam contra Gilbertum habitum fuit. Verba decreti: *Credimus solum Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum æternum esse; nec aliquas omnino res, siue relationes, siue singularitates, siue unitates dicantur, & huiusmodi alia in Deo esse (aliàs Deo adesse), quæ sine ab æterno, & non sint Deus.* Pressorūque Gilberti nomine eius errorem non aliter refert Magist. coætaneus 1. d. 33. capite, *Hoc autem, his verbis: Ita dicunt proprietates esse in personis, vel in essentia diuina, vt non sint interius, sicut ea, quæ secundum substantiam dicuntur de Deo, sed extrinsecus affixa.* Nec multum re ipsa discrepant, quæ ex Gilberti manuscripto refert Vasq. disp. 120. c. 2.

Insuper Gilbertum personales proprietates realiter ab essentia distinxisse testantur plura, & loca, & argumenta Bernardi, qui magna pars Concilij Rhemenfis contra ipsum fuit, atque Scholastici plures Gilberti temporibus vicini. Albert. M. 1. p. q. 39. memb. 2. artic. 1. ad circa finem, Sanctus Thom. q. 28. art. 2. Alexandrin. q. 39. memb. 5. articulo 6. 53. S. Bonauent. 1. d. 33. articulo 1. quæst. 1. & 2. corp. Carthusian. q. 1. Henric. quodlibet. 5. q. 7. sub init. Maior d. 26. q. vnic. init. quare piè magis, quam eruditè ad Scoti sensum, Vasquez traxit. Cæterum ex recitatis verbis cenfeo duplicem errorem Gilberti colligi. Nimirum: proprietates, seu personalitates proprias personis negare, solumque admittere substantiam communem in Trinitate, atque ab vtroque realiter proprietates personarum distinctias distingui. Cum enim dicat proprietates personales non solum non esse Deum, sed neque esse personas, si admitteret perso-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

nalitates proprias, atque proprietates ab eis etiam distingueret, aliter impugnandus esset, quam à Bernardo, & aliis impugnatur, neque duceretur argumentum, quod proprietates personales essent idem inter se, si essent personæ, vel personæ, quæ sunt Deus idem; quin hunc etiam errorem illis fuisse videtur expressè referre Albertus citatus his verbis: *Proprietates, nec essentia est, neque persona, neque est propriè res; sed ratio ex comparatione rei ad rem sumpta.* An verò Porretana distinctio hæc realis stricta, an realis modalis fuerit? Credo modicum fuisse; quia id sonant Alberti verba proxima, atque Bernardus ipsum ad quaternitatem, etiam modicum, cogebat. Sed enim cum animo Catholico Gilbertus erraret in Concilio Rhemenf. respicit, vt testatur Bernardus serm. 80. in Cantica sine; & Octo. supra. Denique Hugo Aetherianus doctus, piusque aliàs Pater in eundem errorem lapsus videtur libro de hæresibus, quas Græci in Latinos deuoluunt capit. 2. fin. his verbis: *Insignitua proprietates non est persona, quam insignis, & circa quam consistit, vt caracter circa substantiam.*

3 Durandus 1. d. 5. quæst. 1. à num. 5. d. 33. quæst. 1. d. 34. quæst. 2. & in 3. d. 1. quæst. 2. num. 15. falso existimans Gilbertum de distinctione reali stricta locutum, & damnatum, atque ex distinctione reali modali non inferri Paternitatem non esse Deitatem; ac non esse Deum, addidit proprietates personales realiter modaliter ab essentia distingui: quasi eo additamento Ecclesiæ in Gilberti sententiam odium, & censuras, atque impugnationum tum declinaret: cum tamen nihil aliud Gilbertus docuerit, vt vidimus. Ex parte Durandi sententiæ consensisse dicuntur plures antiqui, qui relationis respirationem, actiuam, atque spiratoris relationem realiter à paternitate, intellige fundamentaliter sumpta pro persona, distinguebant, neque aliter de Filiatione iudicabant. Ita Durand. ipse 1. d. 13. quæst. 2. artic. 2. & 3. Henric. artic. 60. sum. quæst. 2. corp. Bassol. 1. d. 13. q. vnic. artic. 1. Ricard. artic. 1. quæst. 3. corp. licet alibi oppositum doceat, Carthusian. d. 27. quæst. 1. fin. Albertum citans, & diciturque S. Bonauent. 1. d. 13. artic. vnic. q. 3. corp. initio, Bassolis q. vnic. artic. 1. dicens hanc sententiam omnibus constare, condique ab omnibus Capreol. q. vnic. circa medium ait: *plures præter Durandum, cui adfuerit, ita sentire: Durandus ipse: magnis viris ita videri.* Cæterum cum relati omnes præter Durandum ad eam distinctionem realem Porretanam, ac Durandinam fuerint eos longè alio, quam ipsi sensu, atque de Spiratione actiua cenfeo loquutos: nimirum spirationem actiuam cum Patre, aut Filio seorsim non identificari, sed cum vtroque coniunctim, vt dicebamus disputatione 5. ducor: quia alterum non poterat ad eam esse plausibile. Secundò, quia de generatione nihil tale docuerunt: cum in sensu Durandi eo admisso negare non possent.

CERTAMEN II.

Opposita veritas dogmatica est, atque autoritate fulcitur.

Realem quamvis proprietatum personalium ab essentia distinctionem constanter Theologi omnes præter Durandum relegant à diuinis. S. Thomas vbi proxime, atque Caiet. Bannez, Vasq. Molin. Valent. ibi, iterum q. 39. art. 1. & 2. 4. contra q. cap. 4. q. 8. de potentia art. 2. q. 9. art. 1. & in 1. d. 33. art. 1. Magist. ibi, & d. 34. & d. 8. Albert. 1. p. q. 39. m. 2. a. 1. part. 2. & 2. q. 44. m. 4. Alex. supra, & q. 56. m. 2. q. 58. m. 5. a. 6. S. Bon. 1. d. 7. art. vnic. d. 33. art. 1. q. 1. & 2. d. 34. vnic. q. 1. & 2. Henric. p. 2. summa art. 56. quæstione 4. ad argumenta, quodlibet. 5. quæstione 6. & 7. Agydi. d. 33. q. vnic. artic. 2. & 3. d. 34. q. vnic. Richard. d. 33. artic. 2. q. 1. d. 34. art. 1. quæst. 1. & 2. vbi Gregor. & d. 33. quæst. 1. artic. 2. d. 26. quæst. 1. Aureolin. 1. d. 1. quæstione 1. d. 33. quæst. 1. d. 26. articulo 1. proposit. 1. Maior ibi, & d. 27.

Almain

Almain in 3. d. r. q. r. dub. vlt. Carthuf. cum aliis d. 33. q. 1. d. 34. q. 1. Marfil. cum Adamo in 1. q. 6. art. 2. concl. 3. & 4. q. 30. art. 4. dub. 1. & 2. q. 13. art. 3. in notabilibus, & corollariis q. 36. art. 2. Capreol. d. 33. q. 1. 2. 3. & 3. praesertim col. vlt. ad argumenta Scoti. Ferrara 4. contra gentes cap. 14. Soar. 4. de Trinit. cap. 2. & 4. Artub. d. ... cap. ... Zunniga d. 3. dub. 5. Ruiz, d. r. lect. 3. Albiz. tract. ... d. ... Meratius d. 46. Alarcon d. 2. Luis. Torres d. 4. Gasp. Hurta d. 2. diff. 6. quibus adde Scotum cum suis omnibus referendis q. 2. cert. 1.

2. **D**efinitur haec veritas contra Gilbertum decreto recitato Concilij Rhemenf. quod licet initio, aliis de causis reclamantibus Cardinalibus, approbatu ab Eugen. III. non fore rit, Bernardi, ac Patrum reliquorum autoritate fractus Gilbertus errorem in eo retractauit, ac postmodum de Cardinalium consensu quantum ad decretum illud approbauit Eugenius sic definiens: *Nec aliqua ratio Theologica inter naturam, & personam diuideret.* (id est negaret, iuxta Aristot. phrasim 1. de interpret. cap. 1. & 3. ac de anima text. 21. & 6. met. ph. text. 8.) *neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiu tantum, sed ex sensu etiam nominatiui.* Vt autem Gilberti errorem damnari videas, recole eius propositiones notatas a Magistro in 1. d. 33. capite ceterum. Et cap. veruntamen, quae sic habent: *Quod proprietates Patris non sit Deus, & diuidi, id est negari ab essentia non solum abstractione mathematica, seu formaliter, sed etiam consideratione Theologica, id est realiter.* Definitur ergo: *Persona, & Deus est Deitas, neque haec realiter vilo modo distingui.* Si enim vili esset realis distinctio inter personam, seu personalitatem, & naturam non magis posset dici *persona, aut Deus est Deitas, quam totum est sua pars, vt statim vrgebo.* Adde Concil. Florent. confessione fidei Missa a Latinis ad Graecos sess. 5. s. quibus Latini, vbi ait: *Ne identitatem, coniunctionemque diuinae substantiae distribuere, ac ipsam substantiam ve non autem sola ratione, ab hypostasis differre, credere videamur.* Cum autem omnimoda haec indistinctio realis personarum a natura, & his verbis tradatur, & cum veritate directe in eo Concilio definita de processione Spiritus Sancti a Filio nec euanid connectatur, summam, infra directam definitionem, auctoritatem habet: id ipsum Latinorum nomine professus est Ioann. Theologus sess. 18. s. *diuina substantia annuentibus per Marcum Graecis omnibus s. sequenti.*

3. **A**ccedit Concilium Lateranense relatum cap. *damnamus* de summa Trinit. definiens: *Id, quod est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus omnino: nisi autem cuiusque proprietates cum essentia identificetur, realiter omnino, atque nullatenus re ipsa distinguatur, cum personalitas quaevis, & proprietates quae sola praeter essentiam in persona est, ab altera realiter differat, nullo sensu stare potest Patrem esse idem, quod Filium, vt definitur: similiter definitur ibidem. Tres personas esse vniam essentiam, & substantiam: quod cu distinctio reali quavis, etiam modali, personalitatum ab essentia stare nequit.* Respondet Dur. quod pro Gilberto. Posset definiti ibi contra Ioachimium Abbatem, qui unitatem personarum in essentia negabat, solamque voluntatis, similitudinis, ac collectionis, sicut in populo, unitatem admittebat. Verum, licet occasione erroris eius, ea propositio definitur: ac quidquid cum ea stare non possit, vt Gilberti, & Durandi sententia, execrari debemus. Neque enim opus est, vt contra alicuius nominatim errorem, eiusque occasione definitiones proferantur, alioqui contra toties, & inutiliter ad novos errores confutandos Theologi, & Concilia nouiora ad veterum Conciliorum propositiones, definitionesque prouocarent. Plura Patrum, atque Scripturae testimonia vide apud Ruiz lect. 4. Valq. d. 16. cap. 4. quae omnia, vel ferè, dedimus, & nos disput. 2. q. vlt. de personarum consubstantialitate.

4. **V**erum illud 1. Ioan. 5. *Et hi tres vnium sunt* atque illud Ioan. 10. *Ego, & Pater vnium sumus* in primis recolenda sunt, quia neutrum & substantiue sunt posita. Licet enim vnus naturae essent, nisi idem profus realiter cum illa forent, neutrum vnium dici non possent, licet vnus Deus masculinè dici valerent; sicut tres personae eandem assumentes humanitatem vnus homo substantiue acceptus

dicerentur; aut neutrum vnium dici non possent, quia diuersa erat realiter vniqueque persona ab alia. Vt autem summam hanc entitatis, & realitatis eiusdem unitatem, quam vnium neutrum acceptum significat, explicaret Dionysius 2. de diuin. nom. circa fin. ait non esse vnium, sicut creata his verbis: *Superat vnium, quod, & vnium est ius, quae sunt, & multitudo indiuidua inexplebilis, plus quam plena, & expleta; omneque vnium, & multitudo, quares, & in lucem profertur, & perficiunt, & continent.* Ac verè med. Totius proprietatis, quae omnes superat (vt ita dicam) identitates praesens omnino unitas, quae vnium principale superat, quod dici non potest. Similia habet inferior Nazianz. orat. in Sancta lumina circa med. *Vnum in vrbis diuinitas est, & tria vnium, ea, inquam, in quibus diuinitas est, vel (vt magis proprie dicam) quae diuinitas est.* Epiphani. haer. 57. 62. 69. 73. 76. ac saepius repetit: *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse vniam essentiam, vniam Deitatem.* Damasceni. fide cap. 11. post med. diuinitatem cum personis comparans ait: *cum vero ad ea, in quibus est diuinitas, siue (vt exactius loquar) quae sunt diuinitas, &c. Quae omnia vera esse non possunt, si re ipsa idem profus essentia, & proprietates personales non sint, vt omnibus patet.*

CERTAMEN III.

Bernardi rationibus error praefatus reuincitur, atque oppositum dogma euincitur.

1. **B**ernardi verò, non solum auctoritatibus ex serm. 80. in Cantic. Et ex 5. de consideratione ad Eugen. sed, & rationibus contra Gilberti, & Durandi errorem pro Catholica veritate de indistinctio reali etiam modali, atque omnimoda proprietatum personarum reali identitate cum essentia pugnabimus. Prima sit ex 5. de considerat. circ. med. vbi ait: *Quaternitas orbem determinat, non significat Deitatem. Deus Trinitas est.* Quibus ex distinctio reali, etiam modali proprietatum personarum ab essentia infert quaternitatem in diuinis contra definitionem Concilij Lateranens. relatum, capite *damnamus* de summa Trinitate: *in Deo solummodo est Trinitas, non quaternitas.* Et quidem ritè, ac rectè. Licet enim personales proprietates modi sint essentiae, sicut eis non tollit res absolute, & entitates esse, si realiter distinguuntur ab essentia, quae res etiam alia est, res quatuor, atque absolute quaternitas erit. Vrgeo: quia ex quatuor solis modis realiter distinctis (puta ex quatuor personalitatibus creatis, quae modi vulgariter censentur) quaternitas resultat absolute, imò ex tribus personalitatibus diuinis, quas modos esse ais, absolute Trinitas resultat per te in diuinis: ergo ex iisdem, & essentia resultabit quaternitas absolute. Quid enim essentiae deficit, vt suam ad quaternitatem sufficientem conferat unitatem, si realiter à tribus illis modalibus personarum ibus distinguatur?

2. **D**ices quatuor modos non differre inter se modaliter sicut modus à re, neque tres diuinas personalitates inter se ab essentia verò differre modaliter. Contra: quia distinctio modalis non inuoluit maiorem rei cum modo unitatem, seu identitatem realem, quam habeat res cum alia realiter diuersa, minorémve modi ab illa re ipsa distinctio; sed solum minorem modi ab ea separabilitatem, seu arctiorem ad illam adhesionem: quare neque obest pluralitati reali absolute, quae solam entitatum, & unitatum absolutam distinctio realem exposcit: ergo neque obest quaternitati quae solam realem absolutam pluralitatem quatuor entitatum requirit: quin, quo ad separabilitatem atinet, in diuinis eandem in essentia à personalitatibus, etiam modaliter, distinctis, atque in eis ab essentia debes fateri, nisi nouo, peiorique errore primum defendas. Sed fortasè disparitatem assignes: quod in personalitatibus entitates eiusdem rationis sint, de quorum genere

genere essentia non est, ac proinde cum personalitatibus in numerum venire nequeat. Sed contra: quia licet in numerum entitatum modalium nequeat venire, quod modus non est, ac proinde personalitatum quaternitas non inferatur: ast cum in genere entis, & absolute conveniant, & absolute distinguantur, absolute quaternitatem entitatum, ac proinde absolute quaternitatem constituent. Equis enim dubitet ex re, & nonaginta novem nucibus, licet non nucum, at entitatum centenarium numerum absolute constituit?

3 Argumentor secundò cum Bernardo ibidem dicente. *Nisi omnia unum in Deo, & cum Deo consideres habebis multiplicem Deum. Mibi vero non deest quid cogitem, melius eiusmodi Deo tuo quæres quid? mera simplicitas.* Sic rationem hanc instruo. In Deo est summa realis simplicitas: quia, quò gradu entitas perfectior est de suo genere, eò est simplicior, præterquam quod definitur in Concil. Lateranensi relato cap. *Damianus* de summa Trinitate: *Substantia Patris omnino simplex est.* Nyssen. orat. Catechet. cap. 1. *Dei simplicitatem fusè tradit Iustin. M. q. 144. ad Orthodoxos: Dei simplicitas tota est Filius, & tota est habens Filium; & tota est consilium, & tota est habens consilium:* atqui ex distinctione reali, etiam modalis essentia, & personalitatis inferitur personam quamvis simplicem non esse: ergo ea distinctio est erronea. Minor suadetur: quia, vel ex essentia, & personalitate sic distincta refultat vnum per se, quod ex distinctis realiter, nisi media compositione opposita simplicitati, nequit resultare; vel non refultat vnum per se, sed solum per accidens: quare errore blasphemò quævis persona vnum per accidens erit, ac non res simplex, & una. Et sanè, si extremum hoc admittatur à Durando, incidit in errorem Ioachimi Abbatis, quem damnatum in Lateranensi factur ipse cert. 2. n. 3.

4 Respondet Durandus neque componi personam ex essentia, & personalitate, neque esse vnum per accidens: quia compositio, aut vnum per accidens ex rebus solum, non autem ex re, & modo resultare potest: ut patet, inquit, in personalitatibus, quæ eam ob causam nec compositionem, nec vnum per accidens in Trinitatem inducunt. Contra primò: quia non ideo personalitates, ac personæ vnum per accidens, siue compositionem non inducunt, quia, ut modus à re ab essentia realiter distinguuntur; sed quia cum illa prorsus identificantur, ac proinde numerum excludunt: quare nisi aliunde doctrina ea probetur, conclusionem impugnatam pro ratione, & exemplo adducit. Contra secundò: quia personæ, & personalitates inuicem non distinguuntur, ut modus à re: ergo iuxta tuam doctrinam compositionem inducent, vel vnum per accidens. Contra tertio: quia ex modis, & rebus frequens est compositio in creatis, ut ex præsentia, & substantia (qui vulgò modus est) & subiectis omnes admittunt. Quod autem non se habeant, ut actus & potentia (quod necessarium compositioni est) personalitas, & essentia futile est. Primò: quia in tua distinctione essentia complebilis est per personalitatem, sicut in vulgari opinione natura creata per substantiam suam: quare, ut actus, & potentia se habeant. Secundò: quia, ut sint vnum per accidens (ut contra te contendimus) non obeit, sed prodest non se habere ut actum, & potentiam.

5 Integrum argumentum confirmant Patres alij. Nimirum ex Dei simplicitate reali inferri indistinctionem, & identitatem realem omnium, quæ sunt in Deo. Nyssen. proximè: *Omnino necesse est, cum consistet de simplicitate, ipsam per se vitam & verbum esse putare, non vite participationem.* Cyrill. Alexand. 1. Thelaur. capite 8. circa fin. *Non est aliud natura Dei, aliud ipse Deus: simplex enim, atque incompositus est.* Damascen. 1. de fide cap. 12. init. *Deus simplex est, & incompositus, quod autem ex multis, & differentibus coalescit compositus est.* Vnde capite 13. init. *Illam igitur omnia communiter in tota diuinitate sunt suscipienda, & ut ita dicam identiter, & indiuiduè, & omnia.* Eodem argumento vitur Augustin. 11. de ciuitate. capite 10. circa med. & 7. de Trinitate. capite 1. & 2. init. *Quia in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse; eadem ibi sapientia est, quæ essentia.* Ex simplicitate Dei attributorum cum essentia idem

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo Vno & Trino.

titatem, & indistinctionem concludens. Similiter ex simplicitate inferunt. Gregor. M. 16. moral. capite 2. lib. 18. capite 27. Isidor. 7. Etymolog. capite 1. & 1. sentent. capite 1. post med. Anselm. Monolog. capite 14. 16. 36. sed omnium ad rem hanc nostram in terminis præclarissime Athanas. Apolog. pro Synodo Nicæna scribit: *Si Deus est aliquid simplex, ut quidem est, cum dicimus Deum, & nominamus Patrem, nihil tanquam circa eum, sed ipsam substantiam eius intelligimus.* Quod refert sequiturque Eyparisturus decade 4. capite 8. similique de persona Patris habet Cyrill. Alexand. 3. Thelaur. capite 4. Vnde constat quam malè re pondeat Dur. Patres solum arguere ex simplicitate Dei, & in compositione identitatem, & indistinctionem attributorum ab essentia, non autem proprietatum personalium: cum postremi, de his etiam loquantur, atque eadem sit de vtriusque ratio, quare ex Durandi sententia plura alia fidei dogmata de attributorum cum essentia identitate labefactantur.

CERTAMEN IV.

Veritatis eiusdem rationes alie, & in aduersam, & Authores censoria ammaduersio.

1 Tertio argo ex Bernardo. Quia, si personalitas realiter natura Patris non est, vel est ea inferior, & erit creatura, vel superior, quod implicat aliquid nempe summa diuinitate superiorem esse; vel æqualis, & erit alia diuinitas. Patet primò: quia diuinitas sola diuinitatem æquare potest. Secundò: quia vel illa personalitas, seu proprietates esset ab alio, & sic inferior Deitate, & creatura foret: vel à se, & sic æqualis quidem, sed Deitas foret, cuius realis formalis essentia est esse à se. Dices personalitates esse ab alio originariè. Cum tamen essentia non sit, adhuc originariè ab alio. Sed contra: quia personalitas Patris, etiam originariè est à se: ergo erit Deitas. Contra secundò: quia personæ sunt originariè ab alio, imò ex solum propriè sunt originariè ab alio, non personalitates: cum origo, & processio vtrumque dicat, & influxum, & incommunicationem, quod simul in solam personam procedentem cadit: ergo, si id obeit æqualitati, personæ non sunt æquales essentia. Quod si ex eo, quod partem originis personalitates terminent, inæquales, ac non à se prorsus esse asseris, cum essentia partem etiam originis, scilicet communicationem, terminet; ens prorsus à se non erit. Contra tertio: quia quævis personæ non erunt æquales personæ Patris, quæ etiam personaliter est à se originariè.

2 Quarto argo cum Bernardo 5. de considerat. sub med. dicente: *Substantia una est, Personæ tres sunt. Quid mirum? Quid vel obisurum in hoc? si personæ seorsum à substantia cogitentur? Quasi dicat ex hac sententia euacuatur mysterij Trinitatis profunditas. & altitudo creaturis inaccessible, quæ prædicatur à Patribus. Etenim eandem substantiam creatam pluribus accidentibus, modisque affici quotidie videmus. Item illud; quæ sunt eadem vniuersitè sunt eadem inter se, æquè in diuinis, atque in creatis current. Quintò: dogmaticum est in diuinis nullam esse distinctionem, omniaque esse vnum, & omnino idem, nisi obuiet oppositio, nempe principij, & principiat; atqui inter essentiam, & personalitatem non est eiusmodi oppositio, cum neutra sit ab altera: Patris enim personalitas non originatur, aut procedit, cum sit à se originariè: Filij verò, & Spiritus Sancti personalitates non sunt ab essentia: hanc enim nec generare, nec spirare dogmaticum est. Si ergo nulla est principij, & principiat inter essentiam, & personalitates oppositio: ergo nulla est inter eas distinctio: nisi dogma illud Patrum, & Conciliorum, ac Theologorum omnium euertatur, de cuius vero sensu agemus disp. sequenti.*

3 Sexto arguo: quia in diuinis abstracta personalia de concretis absolutis, & concreta de personalibus abstractis absolute, imò abstracta personalia de abstractis absolutis, & de contra, prædicantur à Patribus, & Conciliis, vt videre licet in Concil. Latranganf. Rhemenf. & Florentino, Cyrill. Nazianz. Damasc. Ep. phan. recitatis cert. 2. Nyssen. Auguft. Athanaf. & aliis recitatis cert. 3. in Boëtio sæpè lib. *An Pater, Filius, & Spiritus Sanctus substantia- liter prædicentur?* Præsertim circ. med. & fin. Adde Iacobum Fratrem Domini apud Clementem. Roman. 8. constituto. Apostolicarum cap. 12. vbi de Patre ait: *Trinitas cognatio sine principio, sapientia, &c.* Dionys. 2. de diuin. nomin. de Filio, & cap. 5. 6. & 7. de singulis, & coniunctim personis prædicat sapientiam, essentiam, bonitatem. Cyrill. & Synodus Alexandrina Epist. ad Nestor. 1. actor. Concil. Ephes. cap. 14. col. 8. *ipse quoque Spiritus Sanctus sapientia, & potentia est.* Nazianz. orat. 37. 5. de Theolog. fin. *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adorem, vnam diuinitatem, ac potentiam.* Athanaf. Dialog. 1. de S. Trinit. contra Anomæum longè à medio: *Personas esse immortalitatem, iustitiam, dominationem, ait Chrysol. Psal. 44. Spiritus sua natura est Dei substantia.* Basil. 15. de fide circ. med. *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus increata natura, dominica maiestas.* Lib. vnic. de Spiritu Sancto cap. 19. sub init. Spiritum rectum ait: *Quod sit ipsa virtus, & ipsa iustitia.* Damasc. 1. de fide cap. 18. citca med. *Voluntas, & sapientia, & virtus Patris, & Filii.*

4 Hilarius 9. de Trinitate longè à medio: *Natiuitas non est extra innascibilitatis naturam: quia non sumpsit aliunde, quod subsistit. Nam, & si non conuicta sit, vt conuictibilis effecta sit: accipit tamen ex Deo esse, quod Deus est.* Et columnis quinque ante finem: *Natura vniuersa est quidditas personalis. Id est personalitas, ac lib. 6. med. Natiuitas proprietates est, veritas est.* In quibus abstracta personalia iubiuntur in prædicatione abstractis naturæ, & proprietatum communium, quæ de ipsis prædicantur, sicut in nonnullis sequentibus. Auguft. serm. 38. de temp. col. 3. *Trinitas vnus est Deus, solus bonus, & c. ipse sibi vnitas, Deitas, &c.* Fulgent. de fide ad Petr. cap. 2. ver. fin. *Pater est verus, & veritas, infra: Permanfit equalis vero Deo Patri, de quo natus est verus, & veritas.* Cap. 3. init. *Principaliter tene omnem naturam, que non est Trinitas Deus, creatam ex nihilo ab ipsa S. Trinitate.* Prosp. aduersus collator. cap. 27. sub init. *Habitat Christus in nobis, qui est Dei virtus, & sapientia.* Scio Gilbertum pluribus horum testimonij, ac similibus respondiſſe in eis abstracta concretis fuisse vsurpata, cum de concretis prædicantur personalibus. Sed scio solutionem, vt suspectam repudiatam merito fuisse à Concilio Rhemenf. cum plura concretè simul, & abstractè loquantur. Atque, si ita Patrum loquutiones in rebus dogmaticis loquentium liceat interpretari, vix aliquid firmum ex eis ad dogmata tuenda adducetur. Secundo Hilarius recitatus n. 4. abstracta de abstractis prædicabat.

5 Ex his ergo sic rationem efformo. Abstracta communia de concretis, imò de abstractis personalibus prædicantur verè à Conciliis, & Patribus: atqui nequirent verè prædicari, si personalis proprietates, seu personalitas ab essentia realiter, adhuc modaliter, differret: ergo, neque modaliter ab ea differt, sed est idem prorsus realiter cum illa. Minor probatur: quia in omni prædicatione affirmatiua vnus de alio identitas absolute vnus cum alio enuntiat: ergo nisi identitas absolute inter illas sit, prædicatio affirmatiua vnus de alio vera esse nequit: atqui in realiter distinctis, adhuc modaliter, non est identitas absolute: ergo nequit esse inter illa prædicatio affirmatiua vera. Sed in Durandi, & Gilberti sententia concretum personale inadæquatè saltem distinguitur ab abstracto communi: quod satis est, vt non sit absolute identitas sufficiens ad veram prædicationem (alioqui affirmatis verè hominem esse animam, vel materiam, & humanitatem esse suppositum, ex quo plures errores in materiale de Incarnat. inducentur) abstractum verò personale ab communi abstracto adæquatè re ipsa differt: ergo nequit verè prædicari vnus de alio contra Patres, & Concilia. Respondet Dur. dist. 33. q. 1. n. 34. prædicationes tunc solum inferre identitatem realem omnimodam

extremorum, cum de quocumque prædicatur vnus, & alterum prædicatur. Sed oppositum probat ratio facta. Deinde prædicatio vnus extremi de alio inferit eius identitatem cum alio, non autem minuit identitatem cum extremo, de quo verè enuntiat: vt patet in homine, qui prædicatur de Petro, & Paulo.

6 Denique alias rationes Theologicas addo. Prima: quia, si est real. distinctio, adhuc modalis, personarum à communi, personæ procedentes causabuntur strictissime, ac rigide à producentibus (quod est erroneum) quin vllum effugium esse possit: vt constat ex dictis disputatione 2. q. 3. Secunda ratio: quia in hac distinctioe essentia non erit infinita infinitate digna Deo, seu per negationem termini etiam extrinsecum non habeat omne esse, seu entitatem diuinam. Item persona erit perfectior essentia sola. Quare denique: essentia non erit absolute perfecta, aut bona cum sit realis pars personæ: ac proinde integritatem, & totalitatem in essendo non habeat, in qua bonitas, & perfectio consistit iuxta dicta disp. 6. Ex quibus omnibus constat Gilberti, atque Durandi Doctrinam erroneam, imò & hæreticam esse: Durandumque peius Gilberto peccasse: cum post illum deliquerit damnatum, ac non sicut ille respuerit. Nec satis ad excusationem est quod illas Gilberti propositiones respuit: *Deitas non est Pater. Et: Pater non est Deitas.* Nam & distinctio damnata in Gilberto est, & hæc propositiones, vt d. distinctiois consecrariæ. Gilberti fundamentum de identitate personarum inter se, ex identitate essentia cum illis satis fecimus disputatione 2. vbi explicuimus principij illius: *Quæ sunt eadem vniter, sunt eadem inter se, verum sensum, & valorem.*

QVÆSTIO II.

An personalitates ab essentia aliquatenus independentes ab intellectu distinguantur.



MYSTERII profunditas, ac nuper memorati principij philosophici vis Scholasticos impulit: vt præter realem distinctionem, quam Catholicè in diuinis admittere non poterant, medias alias inter realem, & rationis, atque ab intellectu independentes committerentur. Quarum alteram ex natura rei, alteram realem virtuale appellauerunt: vt eas inter personalitates, & essentiam, sine fidei præiudicio, collocantes tanti mysterij arduitate aliquatenus complanerent.

CERTAMEN I.

Distinctio formalis ex natura rei ab intellectu independens admitti in personalitatibus, & essentia minime potest.

1 SCORUS in 1. d. 2. q. 4. in ordine in resolutione primæ s. sed hic restat, & q. 7. ac in 2. d. 3. q. 1. d. 5. q. 1. 7. metaph. q. 16. 18. & 19. docet personalitates ab essentia non quidem realiter, sed formaliter ex natura rei, ante intellectus operationem distingui. Quid autem eis verbis formaliter ex natura rei intelligat, an in vel ex rei natura fundamentum distinctioni formali præberi opera intellectus formaliter inducendæ, ita vt illud ante operationem intellectus, cadat supra ex natura rei, atque hoc tempore distinctionem formalem? an illud formaliter appelleret supra distinctionem ante operationem intellectus;

& ex